

Zb. 47.

DE

25. 26.

FIDE HISTORIAE NON TRIBVENDA

PROLVSIO

EXAMINI

IN INSTITVTO PAEDAGOGICO SVO

A. D. XX. MAI

HOR. IX-XII. ET POMER. HOR. II-V.

INSTITVENDO

PRAEMISSA

A

D. IO. FRIDER. ERNEST. KIRSTEN

FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO.

I E N A E,
T Y P I S G O E P F E R D T I T
c 19ccxcix.

Ad preium historiae statuendum animum appellentibus, vi-
sum nobis id est valde exiguum. Indolem enim ingenium-
que hominum intuentes, cognoscimus, ita eos natos, factos
et institutos esse, ut puram veritatem loqui et scribere nec ve-
lunt nec possint. Non ullus mortalium, (nobis exceptis dum
hoc affirmamus) absit invidia, non mentitur. Vix invenies
quenquam, qui veritate per se delectetur. Semper animum
movent res praeter consuetum ordinem factae et gestae, nec
ulla fere re gesta, cui nihil novi et miri inest, dulce affici pos-
sumus. Importunus et molestus nobis videtur, qui nudam
veritatem, non admisso falso, loquitur. — Quid inde sit? —
Ingenium aptum ad figendum — singit, qui arte apte singen-
di caret, — tacet.

Mutus igitur, dicamus veraces, si qui sint, qui tantum
rogati verba faciunt. Qui enim sua sponte, ut alios edoceant,
loquuntur, certissime mentiuntur. Non enim docere,
sed etiam alios delectare cupiunt. Veritas autem non adicit
aures, sed parit odium. Veris, si quidem facilem tibi aurem
parare velis, admisceas falsa, et ita inter se jungas, ne utram-
que fecerni possit.

Histo-

Historiarum scriptorum tam veterum quam recentiorum duo genera distinguere licet, scilicet bonorum et malorum. Neutri fidem esse tribuendam certe affirmamus. Jam videamus de bonis. De malis per se patet.

Historiae scriptoribus, quos putamus egregios, non fuit nec nostra aetate est, in scribendis historicis libris ratio ea prima et maxima, ut facta sive digna memoriae proderent (hac enim inita, displicere voluerunt lectoribus), sed potius ea, ut eleganter et concinne historias conscriberent, admiratione lectorum animos explerent et sibi laudem conciliarent. Posthabita enim veritate ita facta tradunt, ut voluptatem parere possint lectoribus.

Hand defunt argumenta ex veterum scriptoribus historicis colligenda, quae aperte probant, illam iis rationem, voluptatem creandi lectoribus, fuisse principem. Thucydides Xenophon, Polybius, Salustius, Caesar, Livius et multi alii, quos in numero bonorum historicorum scriptorum habemus, res ante multorum annorum spatium factas et gestas ita ante oculos posteriorum ponunt, ut hi non lectores, sed spectatores sibi esse videantur. Vident res fieri, et rerum causas et eventus, audiunt ipsos rerum actores loquentes.

Id vero ipsum accusat scriptores minime veritati amicos et studiosos, qui amantissimi generis scite et concinne dicendi, veritatem et historiae leges negligere hand dubitavere. Quomodo enim v. g. orationes, id, quod ipsius tenacissimae memoriae vires superat, tam longas, saepius paginarn plurium posteritati tradere potuissent, nisi, quas interponunt aliis, ipsi ingenio fixissimae orationes. Sunt, qui non negent, scriptores historicos veteres orationes aliorum ipsos invenisse, sed tamen ob eam causam omnem iis fidem recusandam nolint, interferentes: arte quadam, quam criticam vocant, vera a falsis

falsis distingui, eosque tantummodo in hac re a veritate discedere, omnia autem cetera his orationibus exceptis, ad veritatem dicere et scribere. —

Ad haec sic respondemus: Nos hoc consilio dixisse, illos orationes a scriptoribus ipsis compositas, ut eorum studium lectoribus voluptatis creanda probaremus et ostenderemus in scribendis historicis libris fuisse princeps et huic veritatem posthabuisse. Artem, quam vocant criticam, qua ajunt in antoribus vera a falsis distingui, admodum aestimamus et collimus, sed id, quod laudant eam praestare, negamus. Affirmamus quidem hac arte cognosci, scriptores omnes esse fallaces et mendaces, sed negamus eius auxilio vera ex eorum scriptis legi. Sententia nostra, quo redit, exemplis exponemus.

Livius Lib. I. cap. 34. de Tarquinio ab Tarquinii cum uxore commigrante ita scribit:

„sublati itaque rebus commigrant Romam. Ibi ei car-
„pento sedenti cum uxore aquila, suspensis demissa leni-
„ter alis pileum aufert, superque carpentum cum magno
„clangore volitans rursus velut ministerio divinitus mil-
„sa, capiti apte reponit.“

Ars critica, quae omnia prodigia et miracula veritatis finibus vult expellere, ad hunc locum forte monet: Livium hoc loco, antiquam quandam traditionem et fabulam sequitum et historiae leges neglexisse. Sed haec ars, quae evincit falsa, quae hoc loco tractat Livius, eadem quid re vera factum sit, unde orta traditio et fabella, indicare hand valet.

Anonymus quidam in libro nuper edito et sic inscripto:
Authentische Geschichte des Révolutionskriegs in Italien. Leipzig, narrat: Centurionem quendam Franco-gallorum nomine

Rend,

Rend, cum manu I. militum MDCCC Austriacos milites captivos redidisse. Lector arte critica utens forsan dicit, hoc loco nimiam laudem Franco-gallis tribui, sed verum numerum captivorum nulla arte indicare potest.

Si igitur historiae scriptorum bonorum studium lectorum gratiam libi comparandi satis cognoscitur; vera eos omnia narrare vix credendum est. Ad lectorum animos se accommodant et ita factis formam induunt, ut eos possint capi.

Nec minus illud lectorum animos genere scribendi concinno mulcendi studium, quod bonos et egregios scriptores historiae veteres tenuit, recentiorum animos occupavit; quippe qui omnes intendunt vires, ut historiam, quam conscribant, πραγμάτως consarcinent. Fere nulli facta mera narrant, sed omnes factis addunt rerum causas et eventus, aliorum similium comparisonem, portendunt, quod aliisstantibus rebus evenerit, de factorum pretio morali judicant, et ut uno verbo dicam, addunt Raisonnement. Nos quidem admiramur et summa reverentia aestimamus virorum ingenium excellens praestantissimorum Archenholzii, Eichhornii, Girtanneri, Heinrichii, Posseltii, Schilleri et Schlozeri etc. quos nostra aetas egregios historiae scriptores colit, et in legendis eorum historicis libris summa laetitia voluptate perfruimur; sed ingenue confitemur, in iis vera legi, nos non credere. Res ita narrant, quemadmodum fieri potuissent, non autem, ut revera gestae sint. Per multa a priori addunt, ut lacunas suppleant, quae a posteriori, ex veris historiae fontibus expleri non possint. Ideam formae cuiusdam a priori conceptam sibi praefruxerunt, ad quam facta conformant. Heroes habent, quos nimia laude efferrunt, eorumque facta praeclare gesta, verbis pretiosis et copiosis ornant, et corrumptunt, ut magis laudis adfit, et admirationis. Narratio ad universas civitates et nationes spectans, ubi de sexcentorum hominum fortuna saepissime unius diei fatum sortitur, parum singulos lectores docet, quorum salus ex eius-

eiusmodi rebus vel male vel bene gerendis oritur, quae parvae sint, nisi fiant quotidie. Itaque ut magis singulos lectores in partes suas trahant, quosdam in historicis libris homines maxime notant, eosque ut fabularum scriptores solent, omnibus virtutibus ornant, ut lectores exempla in vita communis imitanda habeant.

Studium igitur genere dicendi venusto in lectorum gratiam ineundi, scriptores impedit, quo minus veritati studeantur. Sed alia quoque ratione minus veraces sunt. Fontes nimur ex quibus hauriunt materiem historiae admodum sunt spuri et turbidi. De fontibus historiae jam nobis inquirendum est.

Scriptor historicus aut ipse rem factam et gestam oculis vidit et auribus audivit, aut factum narrat ex testimonio aliorum, qui vel ipsi interfuerunt rei gestae, vel ab aliis eam acciperunt. Uterque autem fons errorem admittit.

Aequo enim animo rebus gestis mortales adesse posse negamus. Semper vel voluntate et votis vel odio persequimur rerum actores, nec in ulla re graviori a partium studio plane remoti sumus. Nam rem factam aut probamus et foveamus aut detestamur et abhorremus. Inde fit, ut in nulla re a nulla parte stemus. Quin etiam, si ab hoc partium studio remoti esse nobis videatur, inviti et insciis vel foveamus vel aversemur. Utrumque autem, sive foveamus sive aversemur, cum rem referimus, veritati nocet; imo nobis insciis et invitatis accidit, ut veritatem viciemus. Animis enim affectus puram et a virtute vacuam facti narrationem non admittunt. Vel odium vel studium rem aliter narrat quam facta est.

Quae cum ita sint, cognoscitur, ab utroque historiae fonte veritatem puram expectandam non esse. Fac, historiae scriptorem ipsum interfuisse rei gestae, quam refert, ipse partium studio commotus factum aliter nuntiabit quam narraret, si plane a partium studio remotus esset.

Con-

— 8 —

7

Contententibus, historiae scriptorem, ubi ipse interficit rei gestae, ad veritatem omnia dicere posse, hoc denius; sed ex iis quaerimus, ubinam illos historicos inveniamus, qui ipsi omnibus, quae memoriae mandant factis, interesse possint? Fac, historiae scriptorem quandam ab initio belli, (quod revolutionis vocant) eo consilio omnibus rebus gestis pugnis et proeliis interesse voluisse, ut omnia secundum veritatem famae tradere posset: Num rebus omnibus diversis et longe inter se distantibus locis gestis uno eodemque tempore adesse potuerit? Qui scriptor historiam cuiusdam seculi seu populi seu belli tellis (quem vocant Jurisconsulti) auritus conscribat, fragmenta tantum historiae et materiem ab alio tractandam tradet.

Ex aliorum igitur testimonio plerique scriptores historiam componunt et scribunt. — Veritas jam magis periclitatur. Quam multa erroris occasio! Ex altera, parte partium studium, quod nunquam deest, mentis et sensus stupiditas, laudis cupiditas, reprehensionis et ignominiae timor, mentiendi consuetudo, ex altera, credulitas, novarum rerum et monstrorum cupiditas, veritatem depravant, et eo corruptius accipimus factum, quo saepius alter alteri tradidit. De hac re sexcenties experientia docemur. Factum per plura ora traditum, in quavis aliquid de veritate amisit, ita ut qui primus retulit, idem vix cognoscere possit. Cur stupidi vera putamus, quae loquuntur historiae scriptores miraculosa, vana, erronea et falsa?

Fontes historiae plerumque documentis litteris aratis constant. Sed quis nescit scripta documenta varias interpretationes admittere, saepissime unum idemque documentum ad diversa plane et contraria probanda laudari? — Quem habere potest fidem historia, quae talibus fundamentis nititur?

Sed haud raro consilio ipsa documenta publice edita corrumptuntur. — Multi principes earum urbium, in quibus

Ephes-

Ephemerides produxit aut directe aut indirecte eas dirigere solent, multa vera ab iis arcent, alia, quae vellent facta, falso promulgari jubent tanquam facta.

Sic v. g. Franco-gallorum legati qui annis c^{lo} I^o ccxcvi et xcvi. Florentiae versati sunt, Ephemerides ibi in lucem editas dirigere handedignati sunt. Imo Citoyen Miot Popularium victorias in illis narratas suo nomine subscripto testatus est. Quomodo ex his fontibus veritas manet?

Quid? Historia nullam veritatem contineat? — Omnis veritas historica dubia sit? — In dubium quoque veniat, Cyrum, Alexandrum magnum, Socratem, Mosem, Jesum, Muhametem, vixisse, Ludovicum XVI. regem Franco-gallorum a civibus interfectum esse? — Ejusmodi quidem historiae enuntiata, quae sine ullo partium studio a testibus possint enuntiari et in quibus intimus scriptorum consensus adeat, incerta non putamus. Sed ex nobis, si quis quaerat, quaenam gesserit v. g. Alexander magnus, quaenam fecerit Muhametes etc.? — certe respondemus: Vera ignoramus, omnia enim quae historiae scriptores de iis miraculosa et fabulosa narrant, ita orta sunt, ut multae fabulae nostra adhuc aetate consarcinantur, et irrita et inania moliri nobis videntur, qui conjecturis et hypothesibus a priori factis, historiae succurrere velint. Οὐ ἔχων ὥτα ἀκούειν, ἀκούετω. Nos hanc scriptionem eo consilio edidimus, ut examen publicum puerorum, qui in Instituto nostro educantur et erudiuntur, indicandi occasionem haberemus. Cui ut frequentes Hospites omnium ordinum spectatissimi nobilissimique Musarum Patroni et Fautores, interesse velint, humanissime rogamus.

Mb. 538. 8

ULB Halle
006 697 011

3




TA → OL

W 18

W.C.

B.I.G.



DE

25.26.

FIDE HISTORIAE NON TRIBVENDA

PROLVSIO

EXAMINI
IN INSTITVTO PAEDAGOGICO SVO

A. D. XX. MAII

HOR. IX-XII. ET POMER. HOR. II-V.

INSTITVENDO

PRAEMISSA

A

D. IO. FRIDER. ERNEST. KIRSTEN
FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO.

I E N A E,
TYPIS GOEPFERD TIT
CICCI CCXCIX.

